Perpetua merces bonis pro ipsorum laboribus paratur, digna Remuneratoris justitiâ & æquitate; pœna verò iniquis, non tamen perpetua, ne immortalitas ipsis præparata eisdem inutilis fiat, sed ut aliquo exiguo tempore juxta meritum & mensuram delicti & impietatis eorum, & secundùm quantitatem malitiæ operum ipsorum torqueantur. Tormentum itaque & pœnam ad exiguum tempus patientur: beatitudo autem immortalitatis, nullum habitura finem, illos manet. Enimverò si bonorum operum præmia tantum excedunt, quantum æternitatis ipsis paratæ spatium, certaminum præsentis ævi curriculo circumscriptorum spatia superat; pœnæ profecto pro gravibus multisque criminibus infligendæ multo magis à magnitudine misericordiæ superantur. Non itaque pro bonis dumtaxat Resurrectionis gratia computatur, sed etiam pro malis. Gratia enim Dei Bonos quidem magnificè copioseque honorat; misericorditer verò & clementer malis supplicia decernit. Hæc Salomon ex Diodoro ac Theodoro. In eandem sententiam detorquere nititur dicta quædam Isaaci Ninivitæ, & anonymi auctoris libri commentariorum. Sed quæ si attentè considerentur, contrarium potiùs evincunt. Hæc sunt Salomonis verba.

Quidam Patres suprà virtutem nostram nos perterrefaciunt, & in desperationem dejiciunt: & istorum quidem sententia pueris sensu, & prævaricantibus legem utilis est. Sunt alii, qui nos recreant, & divinæ misericordiæ confidere jubent. Istorum verò opinio perfectis, & bene constitutæ mentis, ac operi gnaviter incumbentibus proficua & consentanea est. In libro commentariorum sic legitur. Sæculum hoc, sæculum est pœnitentiæ: futurum autem sæculum, sæculum est vindictæ. Quemadmodum enim in præsenti sœculo pœnitentia ad extremum usque spiritum salvat; ita in sæculo futuro justitia ultimum exigit quadrantem. Et sicut hìc non est videre judicium æquum, quod misericordia temperatum non sit; ita non est illìc invenire judicium justum misericordiâ permistum. Et S. Isaac sic habet. Qui apud Gehennam torquentur, charitatis cruciantur tormentis. Aspera autem & magis amara sunt tormenta quæ à charitate inferuntur iis, qui sentiunt se in charitatem deliquisse, tormentis à timore. Rursus ait. Peccatorum retributio hæc futura est, ut pro justitiæ retributione resurrectio ipsa illis retribuatur, & corpora quæ leges ejus conculcaverunt, ipse in novissimo gloriâ perfectionis induet. Major sanè est gratia ista, quæ postquam deliquimus, nobis tribuitur, quàm illa, per quam è nihilo conditi sumus. Hæc quoque habet. In futuro sæculo Gratia erit judex, non Justitia. Quæ sanè omnia nil aliud probant, quàm Beatis quidem suprà meritum gloriam, Damnatis verò citra meritum pœnas à Deo retribui; non tamen gloriæ, aut pœnis finem aliquando imponendum esse, ut perperàm contendit Salomon. Nec mirum, quod ille in suum errorem auctores hosce detorqueat. Nam *Dialogum* etiam *S. Gregorii Nysseni ad Macrinam sororem de Anima* ab hæreticis interpolatum fuisse & Origenianis dogmatibus insperfum, eo præsertim consilio, ut futuram aliquando Diaboli salutem, & dæmonum hominumque impiorum suppliciis finem imponendum esse propugnarent, testatur S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus in libro, qui inscribitur *Retribuens & Legitimus*, apud Photium in Bibliotheca Cod. 233. & Nicephorus lib. 2. hist. Eccles. cap. 19. Quod verò Theodorus Mopsvestenus inter cæteros, quibus post obitum convictus fuit, errores, hunc etiam de fine

Gehen-